

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0193

0191

0197

0187

0202

0182

0242

0142

0292

0092

0692

Ende

Anfang

182

autem vidimus villam Bezeth, de qua habetur Judicum 1., in  
qua filii Israel percusserunt X millia virorum et invenerunt  
ibi Adonizedech, regem Jerusalem, cui amputaverunt manus  
et pedes, sicut ipse fecerat LXX regibus, qui sub mensa  
sua serpebant colligentes ore micas incidentes. Hanc villam  
desideravi ingredi et videre locum, non enim praetermisi ali-  
quem locum mihi ex canonica Scriptura notum, quin eum  
visitaverim, in quantum mihi possibile erat. Declinavimus  
ergo a via communi ad dextram in villam Bezeth eamque  
pertransivimus. Est enim villa magna et populosa, nec habi-  
tant in ea Sarraceni, sed solum Christiani orientales, et num-  
quam fuit a Sarracenis possessa. In hoc tamen anno quidam  
de hac villa Christianus fidem Christi publice denegavit, et  
circumcisionem accepit et Sarracenus effectus est et hodie  
inter Christianos ibi habitat lupus inter agnos. In hac villa  
optimum et fortissimum crescit vinum, quod quidem potatum  
pure caput non laedit, sed sua virtute intestina corredit, ideo  
debet multum imponere de aqua; non memini me melius  
vinum bibisse.

A Bezeth consequenter progressi in Bethlehem venimus  
et cum magna charitate a Gardiano et fratribus recepti su-  
mus et coenam bonam ibi fecimus Post coenam ductus fui  
in cellam pro quiete, sed dum reposuisse me, fugit me  
sonnus ab oculis meis, et totus vigil ad tempus in lecto  
mansi, et taedio jacendi victus surrexi et me in specu sacro  
nativitatis Christi esse optavi, spem tamen non habui, me  
ante noctis medium posse habere ingressum, sciens, omnia  
ostia esse serata, verum silenter cellam exivi, et capellam S.  
Nicolai, in qua fratres horas dicunt, ingressus sum. In eadem  
capella est occultus introitus per ostiolum in specum sacrum,  
quem omnibus modis fratres occultant propter Sarracenos et  
orientales Christianos, qui eum non paterentur, ut supra fol.  
172. dixi. Ad hoc ostiolum sine spe accessi eumque reser-  
atum reperi et cum magno gaudio ingressus sum, penetrans  
petrosum transiit, et ultimum ostium etiam apertum reperi,  
per quod in sautissimum specum veni, quem illuminatum  
multis lampadibus inveni, et duo ostia, per quae est transitus  
et ascensus in ecclesiam, firmiter clausa reperi. Considerans

